



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

5. De confederacione archiepiscopi Coloniensis cum principibus circumvincinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Concordatis et pacificatis pretactis dominis, archi- 5.
episcopo Coloniensi et predicto illustri Wilhelmo super
prenarratis, tunc idem archiepiscopus se cum principibus
et terrarum dominis prope eum habitantibus ad pacis
tranquillitatem posuit, cum eisdem se colligavit, faciens
cum illustribus principibus, episcopo Magno, nato filii(?)
ducis Saxonie, Hildensemensi, cum Ottone et Wilhelmo,
ducibus Brunswicencibus et Luneborgensibus, cum
Lodewico, lantgravio Hassie, confederationem, amiciciam
inter eos, cometes de Waldecke, de Tekeneburg et
dominos de Lippia condicendo. Sicque tunc instedit¹⁾,
ut debita per eum in premissis dissensionibus contracta
persolveret, que, ut per se profitebatur, se ultra ducenta
milia florenorum Renensium extenderant. Pro quibus
redimendis plures decimas de suis indixit, postulavit,
colligere fecit et accepit, ita exacte tales requirens et
graves inponens, quod plures sue diocesis beneficiati
sua beneficia relinquerunt, possessionibus in eis habitis
resignarunt, sine spe rehabendi absedentes ab eisdem;
quod dolens refero, eis compaciendo. Dominus tunc
prelibatus post hec in optima habitudine utramque
ecclesiam Coloniensem et Paderbornensem rexerat, pacem
servaverat et onerosus suis non fuerat, sic quod eo
causante nulle inimicie seu rapine suis inferebantur.
Utinam si tale bonum regimen et propositum ita per-
mansisset! Tunc ecclesia Paderbornensis, ut prefertur
destituta, per optime fuisset habunde reformata.

Cum autem reverendissimus dominus Theodericus 6.
de omnibus memoratis laudabiliter erat liberatus, tunc
propter detestabilem heresim Husitarum, illis temporibus
per maxime in regno Bohemie et partibus ibidem vicinis

¹⁾ = institit.